



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. XIII. Qualis fides requiratur ad iustificationem, & an ad hanc sola
fides sufficiat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

Philem. 5. Et ad Philemonem v. 5. dicit se audiuille fidem ipsius, quam habebat in Domino Iesu & in omnes sanctos. vbi habere fidem in constructur modò cum datino, modò cum accusatio, & significat credere Domino & sanctis. Similiter S. Iohan. epistola 1. cap. 5. ait: *Qui non credit filio, mendacem facit eum; quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de filio suo.* Et in suo Euangelio cap. 12. docet multos principes credidisse in Christum, qui tamen diligebant magis gloriam hominum quam Dei, & ideo non audebant eum palam confiteri, & consequenter manebant in peccatis.

236
Secundum
Scripturam
etiam pec-
catores cre-
dunt in Deum.

Ex quibus patet Scripturam tam de peccatoribus quam de iustis dicere, quòd credant in Deum. Item nos secundum modum loquendi Scripturæ non tantum in Deum, sed etiam in Dei testimonium, ac in sanctos, ac Dei seruos credere. Quare secundum eam credere alicui & credere in aliquem idem significant.

Chrysost.

Simili etiam modo loquuntur aliqui Patres. Nam Chrysost. homil. 52. in Matth. ait: *Nihil prodest, si credas in Patrem, & Filium & Spiritum sanctum, nisi rectè vixeris.* Et D. Hieron. in maioribus commentarijs in epist. ad Philem v. 5. dicit locum supra ex hac epistola citatum, adfert locum supra citatum ex Exodo, additque: *Vna atque eadem credulitas in Moysen refertur, & in Deum, vt populus qui credebatur in Deum, æquè credidisse dicatur in seruum.* Deinde explicat, quare ratione, qui credunt in Deum, etiam credant in sanctos eius, dum credunt vera esse quæ de his scripta sunt. vbi aperte pro eodem accipit credere in sanctos, & credere sanctos esse tales, quales in Scriptura describuntur. Multi tamen, adducti auctoritate S. Augustini, & quia proprietati Latine linguæ consonantius est, tria dicta cum D. Thom. modo supradicto distinguunt. Ideoque etiam in Symbolo dicimus nos credere in Deum Patrem, Filium & Spiritum sanctum, non autem in Ecclesiam, sed Ecclesiam.

Hieron.

237

Vasquez.

Fides miraculorum & promissionis.

Secundò, est difficultas, vtrum sit eadem fides Catholica, & miraculorum: quæ fuscè tractat Vasquez 1.2. disp. 209. c. 4. Et Primò, distinguit fidem in Catholicam qua credimus mysteria fidei toti Ecclesiæ reuelata: & in priuatam. Quam rursum tripliciter diuidit. Prima est, qua quis credit aliquid sibi priuatim à Deo reuelatum. Secunda, qua quis credit Deum per se facturum hîc & nunc miraculum, & dicitur fides miraculorum. Tertia, qua quis credit se à Deo obtenturum quæ petit, & dicitur fides promissionis.

238

Deinde disput. 210. cap. 4. eos, qui dicunt hos omnes assensus esse eiusdem speciei, aut ab eodem habitu elici, fuscè refutat. Primò, quia hi tres actus habent diuersum obiectum formale: nam primus nititur immediatè reuelatione diuina, vt obiecto formali, secus est de alijs actibus. Nam iis, qui hos eliciunt non est reuelatum Deum facturum per eos miracula, aut hîc & nunc facturum ea quæ petunt. Secundò, quia etiam hi non crederent Deum facturum per eos miracula, aut daturum ea quæ petunt, non essent hæretici; secus est si non cre-

derent ea esse vera, quæ Deus siue iis, siue Ecclesiæ reuelauit.

Et quidem hac in re credo omnino certum esse primum illum assensum fidei priuatæ esse eiusdem omnino speciei cum fide Catholica, quia nititur eodem obiecto formali, vt ostendi disput. 9. dub. 6. conclus. 2. Item duos assensus alios secundum se sumptos esse omnino diuersæ speciei à priore, nec ab eodem habitu elici, vt bene probat Vasquez. Sed credo etiam alios Auctores nunquam voluisse docere, hos duos actus esse eiusdem speciei cum fide theologica, si præcisè secundum se siue metaphysicè considerentur: nam dictos duos actus sic consideratos nōlunt vocari propriè fidem, sed fiduciam, & aiunt magis ad voluntatem quam ad intellectum spectare. Quare dum eos confundunt cum fide theologica, solum volunt eos nasci ex perfectione & firmitate fidei theologice, ideoque in Scripturis per hanc tamquam moraliter eundem cum ea actum significari. vnde etiam contendunt, fidem quæ in Scripturis laudatur, semper accipi pro theologica. quod alij negant, quare tota res redit ad quæstionem de nomine.

D V B I V M XIII.

Qualis fides requiratur ad iustificationem, & an ad hanc sola fides sufficiat?

Hæc difficultas est cum hæreticis nostris, qui, vt ex eorum scriptis docet Bellarm. 1.1. de iustificatione c. 4. quadruplicem ponunt fidem. Primam, qua credimus omnia mysteria fidei: quam vocant historicam. Secundam vocant fidem miraculorum, de qua aiunt loqui Apostolum 1. ad Cor. 13. vbi ait, *Si habuerio omnem fidem, ita vt montes transferam, &c.* Tertiam vocant fidem promissionum, quam aiunt esse duplicem. Vnam qua generatim credimus Deum ex parte sua impleturum, quæ nobis promisit circa remissionem peccatorum, vt cum Marci ult. di. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Alteram, qua quisque credit in se ea promissa esse completa, siue peccata sibi in particulari esse remissa. Et hanc fidem vbique deprædicant, & per hanc solam aiunt nos iustificari; quatenus per eam apprehendimus iustitiam Christi, eamque nobis appropriamus, atque ita per eam sumus iusti. vnde inferunt sine hac fide neminem posse esse iustum; cumque qui eam habet necessario esse iustum, nec posse esse non iustum; atque ita aiunt, hanc solam fidem homini ad iustitiam sufficere.

Et quidem hanc fidem esse concedendam probant: quia Spiritus sanctus vnique iusto particularim testatur ipsum esse filium Dei: ergo hic potest hoc credere. Antecedens patet ex c. 8. ad Roman. vbi dicitur. *Ipse enim Spiritus (scilicet sanctus) testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei.* vnde etiam intra Apostolus ait: *Certus enim sum, quia neque mors, neque vita, neque angeli, &c. poterunt nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo Iesu.* Ad quòd requiritur, quòd sit certus, & se, & eos, quos alloquitur, esse in caritate siue in gratia Dei.

Hanc

242 Hanc autem fidem sufficere ad iustitiam probant. Primò, quia Scriptura sæpe iustitiam ita tribuit fidei ut præter eam nihil aliud requirat. Luc. 7. v. 11. dicitur Magdalene, *Fides tua te salvam fecit.* idem dicitur c. 8. mulieri fluxum sanguinis patienti, & laico dicitur, *Noli timere, sed crede tantum, & salua eris,* scilicet filia tua. Iohan. 3. dicitur Christus debere exaltari in cruce, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Unde etiam c. 1. dicitur, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Act. 13. v. 39. *In hoc omnis qui credit iustificatur.* Ad Roman. 5. v. 1. *Iustificati ergo per fidem, &c.*

Secundò, quia Scriptura docet nos gratis iustificari. Ad Rom. 3. dicimus *iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem, per fidem, &c.* ergo sine ullis meritis sola fide, quæ apprehendimus Christi iustitiam siue merita, iustificamur.

Tertio, quia Scriptura sæpe docet nos iustificari per fidem sine operibus. Ad Ephes. 2. *Gratia estis saluati per fidem, non ex operibus.* Ad Galat. 2. *Scientes quoddam non iustificatur homo ex operibus legis.* Ad Rom. 3. *Arbitramur enim hominem iustificari per fidem sine operibus legis.* Et cap. 4. *Ei vero, qui non operatur, credenti vero in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam.*

243 Demum adferunt varia loca Patrum, quibus conatur suum errorem confirmare. quæ referunt & explicant Bellarm. l. 1. de Iustifi. c. 25. & Vasquez l. 2. disp. 110. c. 1. & 9. quibus etiam locis dictum errorem doctissimè refutant; quod etiam multi alij qui omnium manibus teruntur, sufficienter fecerunt. quare hic solum breuiter ponemus quedam fundamenta, ex quibus ille error facile conuelli & Catholica fides stabiliri possit.

244 CONCLUSIO I. Hæreticum est dicere hominem sola fide iustificari, ita ut nihil aliud ex parte ipsius iustificandi requiratur, quam ipsa fides. Ita Trident. sess. 6. can. 9. Et tenuerunt semper omnes Catholici. Probatur Primò, quia Scriptura expressis verbis pluribus locis contrarium docet. Matth. 7. Christus ait: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum celorum. Sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in celis est, ipse intrabit in regnum celorum.* Deinde dicit, in die iudicii multos à regno celorum excludendos, qui multas virtutes ac miracula in nomine Christi fecerant, quia non fecerunt voluntatem Patris; & tamen clarum est hos habuisse fidem: nam alias nec Christum vocarent Dominum, ipsius misericordiam inuocando, nec in nomine eius miracula ac virtutes operarentur. Quæ autem sit illa voluntas Patris, quam necessariò facere oportet ut intremus in regnum celorum, aperte docet ibidem c. 17. ubi interroganti quid esset necessarium ut posset in vitam ingredi, ait, *Si autem vis ad vitam ingredi serua mandata, scilicet decalogi, ut Christus ibidem explicat.* Et cap. 23. docet eos excludendos à regno celorum, qui non fecerunt opera misericordiæ; quando scilicet hæc potuerunt, & tenebantur facere.

245 Item S. Iohannes epistola 1. cap. 3. & 4. fusi-

Coninck de act. supernat.

Coninck de act. supernat.

Coninck de act. supernat.

Coninck de act. supernat.

Coninck de act. supernat.

Coninck de act. supernat.

Coninck de act. supernat.

Coninck de act. supernat.

Coninck de act. supernat.

mè docet, nos per caritatem Deo placere, & ex eo nasci ac ipsius filios esse: & omnes, qui non habent caritatem, quæ Deum & proximum amant, manere in morte & esse alienos à Deo. Qualis autem hæc caritas esse debeat, explicat c. 3. v. 17. ubi ait: *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clausit viscera sua ab eo (scilicet non adiuuando eum) quomodo manet caritas Dei in eo? filii mei non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate.* Hinc etiam Apostolus 1. Corinth. 13. docet nec fidem, nec quidquam aliud nobis posse prodesse sine caritate. Et Iacobus in epistola sua c. 2. fusiò docet, fidem sine operibus esse mortuam, nec posse iustificare: Ex quibus aliisque similibus locis, patet solam fidem ad iustitiam non sufficere: alias enim qui eam solam haberet sine operibus & sine caritate, non esset nihil, nec maneret in morte: sed esset iustus, filius Dei, & posset ingredi in regnum celorum.

Respondent hæretici Primò, quando Scriptura docet fidem non sufficere ad iustitiam, eam loqui de fide historica, quæ credimus mysteria fidei, non autem de fide promissionum, quæ quisque in particulari credit sibi remissa esse se peccata. Sed contra, præterquam quod hæc fides contra omnem veritatem fingatur, si ea daretur, & nos sola iustificaret, malè diceret Scriptura fidem sine caritate nihil esse, nihil prodesse, mortuam esse, &c. sed deberet dicere fidem historicam nihil esse, non prodesse, &c. sine illa particulari fide promissionis. Item malè præter fidem requireret caritatem, & opera misericordiæ, & obseruationem mandatorum: quia hæc sunt distincta ab illa fide promissionum. Sicut si dicerem, Ad bene concionandum præter doctrinam requiritur etiam eloquentia, aut illa sine hac nihil est, nihil prodest, est quid mortuum, &c. falsum dicerem, si sine eloquentia ad bene concionandum sufficeret doctrina grammaticalis aut philosophica. Ergo similiter falsum dicit Scriptura, dum fidem sine caritate & operibus docet esse mortuam aut nihil prodesse, & præter illam hæc ad ingrediendum regnum celorum necessariò requirit; si vlla fides, quæcumque illa sit quæ ab his distinguitur, ad iustitiam & salutem sufficiat.

Respondent Secundò, caritatem & opera à Scriptura requiri, non quod fides per se non sufficiat ad salutem, si sola daretur, sed quia illa sunt signa veræ fidei, & quia fides sine ijs esse nequit.

Sed contra Primò, sine omni fundamento fingitur neminem posse habere fidem veram sine caritate & obseruatione mandatorum. nam siue spectemus veram fidem, quam nos Catholicam vocamus, siue falsam, quam illi vocant priuatam fidem promissionum, nihil obest quin aliquis verè credat omnia quæ docet fides esse vera, & tamen hæreat in peccatis; ut quotidiana docet experientia. Item nihil obest, quin aliquis ex quadam præsumptione credat sibi omnia peccata esse remissa, & simul maneat in peccatis suis: ut patet in nostris hæreticis, qui cum diuersissima de fide sen-

tiant, & se mutuo hæreseos damnent, atque ita necessariò alterutri in peccatis sint, tamen omnes credunt propter Christum sibi remissa esse peccata, atque ita saltem eorum aliqui sine caritate & iustificatione habent illam particularem fidem.

248
Iohan. 12.

Secundò, illa responsio repugnat apertè Scripturæ, quæ Iohannis 12. apertè docet, multos ex principibus credidisse in Christum, & tamen non habuisse caritatem, quia magis diligebant gloriam hominum quàm Dei. Quod autem aliqui dicunt, eos non habuisse veram fidem; apertè repugnat Scripturæ, quæ eodem modo de eorum fide loquitur, sicut de fide aliorum, quos eo capite docet habuisse veram & viam fidem: dicens utrosque credidisse in Christum. Fusiùs hæc tam ex Scripturis, quàm Patribus docet Bellarm. l. 1. de iustific. c. 15.

Bellarmin.
249

Tertiò, illa responsio nullo modo potest quadrare Scripturis suprà citatis: nam secundum eam S. Iacobus non deberet dicere fidem sine operibus otiosam esse, sed esse non posse, sicut homo sine anima non est otiosus, sed omnino non est homo. Apostolus autem ibidem apertè insinuat, carentes operibus posse habere veram fidem, sed otiosam siue instructuam: vocatque mortuam, non sicut homo sine anima dicitur mortuus, sed sicut corpus sine anima dicitur mortuum, quod tamen manet verum corpus.

250
1. Cor. 13.

Similiter falsò diceret Apostolus 1. ad Corinth. 13. Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum. Nam ponamus vinum non posse habere bonum saporem atque alias bonas vini qualitates, nisi habeat etiam bonum odorem; etsi eo casu bonus odor sit necessarium signum bonitatis vini, tamen falsò dicerem, etsi vinum habeat optimum saporem, & alias vini qualitates optimas; tamen, si nullum habeat odorem, nihil, siue nullius valoris & bonitatis est. Nam si aliquod vinum siue per possibile, siue per impossibile haberet dictas qualitates optimas sine ullo odore, sine dubio esset valde bonum, & magni valoris. Et similiter si fides per se, ut distinguitur à caritate & operibus, nos iustificaret, ita ut quicumque eam haberet necessariò esset iustus, quantumvis fides à caritate separati non posset; tamen falsò diceretur, Si haberem omnem fidem & carerem caritate, nihil essem; cum contrarium esset verissimum, scilicet, Si haberem omnem fidem, etsi non haberem caritatem (siue id fieri possit, siue non) essem verè iustus, & consequenter essem aliquid, & fides mihi prodesset. sicut etsi sine oculis nequeam videre, & consequenter nec legere: tamen hæc est verissima, Si possem sine oculis clarè ac perfectè videre, possem sine ijs legere.

251
Sola fides
qua credimus
mysteria, etiam
à Deo reuelata,
est initium
iustificationis.

CONCLUSIO II. Etsi fides Catholica siue qua credimus mysterium Trinitatis, incarnationis, & reliqua nobis à Deo reuelata esse vera, sit necessaria ad iustificationem, & verè dicamur ea iustificari inchoatiuè, quatenus est initium nostræ iustificationis, iuxta dicta suprà dub. 7. tamen hæc sine ullo fundamento finguntur

conuenire illi fidei, qua hæretici credunt sibi remissa esse peccata.

Probat, quia cum Scriptura faciens mentionem fidei iustificantis siue necessaria: ad salutem, explicat quam fidem requirat, semper ostendit se non loqui de illa fide qua credimus nobis remissa esse peccata, sed de ea qua credimus aliquid mysterium fidei; nec illam aliam fidem ullibi requirit: ergo illa sine fundamento fingitur: præsertim ab hæreticis, qui nihil extra Scripturam credendum volunt.

Antecedens probatur Primò, ex cap. 11. ad Hebr. vbi cum Apostolus docuisset, impossibile esse sine fide placere Deo, subdit; *Credere enim oportet ascendentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* vbi plurima alia enumerans quæ Sancti credendo placuerunt Deo, semper recenset ea, quæ creduntur ea fide quam illi vocant historicam, aut iis similia: nullam autem facit mentionem ullius, qui crediderit sibi remissa esse peccata. Similiter ad Roman. 4. & Genes. 15. Scriptura docet, si dem Abraham ipsi fuisse reputatam ad iustitiam, non qua credidit sibi remissa esse peccata, sed qua credidit Deum multiplicaturum suum semen. Sic Lucæ 8. vers. 48. dicitur mulieri, *fides tua te saluam fecit*; qua scilicet credidit Christum se posse sanare; non autem sibi remissa esse peccata. Et v. 50. iubetur lairus credere filiam suam à Christo excitandam, non autem sibi remissa esse peccata. Et cap. 7. vers. 9. Christus miserratur fidem Centurionis, dicitque se non reperisse tantam in Israel, qua scilicet ipse credebatur Christum etiam absentem posse suum seruum sanare. Item Matth. 16. vers. 17. Christus laudat fidem S. Petri, eumque propter eam vocat beatum, quia ipse credidit Christum esse filium Dei viui, non autem sibi remissa esse peccata. Idemque est de alijs locis, in quibus fides laudatur aut exigitur. Sed clarissimus locus est Iohannis 17. vbi Christus ait: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* vbi vitam æternam vocat fidem qua ad vitam æternam perducimur, & consequenter qua inchoatiuè iustificamur, eamque constituit in cognitione siue fide, qua credimus Deum & Christum esse. vide plura apud Bellarmin. libr. 1. de iustific. cap. 8.

Quamuis autem in Scriptura multis locis dicatur ad salutem esse necessarium ut credamus Christum venisse in hunc mundum, & mortuum esse, ut per eius mortem acciperemus remissionem peccatorum, & nos sine huius meritibus ac fide iustificari non posse; item omnes qui fide viuam, siue per dilectionem operante (ut infra ostendemus) hæc credunt, iustificari; tamen sicut (si paucos in Scriptura à iustitia & caritate in Deum laudatos excipias) nullibi est reuelatum hunc, vel illum in particulari habere hæc fidem viuam: ita à nullo in particulari requiritur, ut credat se eam habere, aut sibi remissa esse peccata; imò sine particulari reuelatione hoc nullo modo credere potest. Quare hæretici apertè sibi contradicunt, dum dicunt nihil esse creden-

Nullibi in
Scripturis
iubetur
credere nobis
remissa
esse peccata.

Hæreticis
antilogon.

credendum quod non habetur in Scriptura, & tamen aiunt Petrum aut Paulum v. c. teneri credere sibi remissa esse peccata, quod nullibi habetur in Scriptura.

254
Hæretici
fides contra-
dictione in-
uoluit.

CONCL. 3. III. Quemque in particulari vera fide diuina credere remissa sibi esse peccata, eaque fide iustificari, planè impossibile est, & contradictionem quandam inuoluit.

Probat. Primò, quia nihil possum credere fide diuina, nisi Deus hoc reuelauerit, vt ostendi disp. 9. dub. 3. concl. 2. atqui Deus nullibi reuelauit remissa mihi esse peccata: ergo neque hoc vera fide diuina credere. Minor patet, quia secundum aduersarios nihil credendum est, quod non habetur in sacra Scriptura; hoc autem nullibi habetur in sacra Scriptura. Etiam hæc sæpè doceat, verè penitentibus, aut fidei viam, quæ per dilectionem operatur in Deum, credentibus remitti peccata; nullibi tamen docet me ita ponere, aut credere, aut mihi remissa esse peccata. Necessè est itaque fateantur hæretici, aut aliquid fide diuina credendum esse quod non habetur in Scriptura, aut hoc non esse credendum.

355
Probat. Secundò, quia impossibile est talem fidem esse veram, & peccata remitti peccata: ergo est omnino falsa & commentitia. Anteced. probatur: quia vt fides, quæ credo mihi remissa esse peccata, sit vera, necessarium est peccata mihi esse remissa priusquam id credam, sicut vt assensu vero credam Christum esse passum, debet prius esse passus quam id credam. Contrà verò vt hæc fides sit causa remissionis peccati, necessè est me prius credere quam peccata remittantur: nam causa debet esse prior effectu, præsertim secundum aduersarios, qui dicunt hanc fidem non esse causam formalem nostræ iustificationis, sed esse quasi instrumentum quo apprehendimus iustitiam Christi, quæ formaliter iustificamur. Sicut igitur instrumentum quo parietem applico albedinem, & ipsa applicatio necessariò debet esse prius quam paries per ea sit dealbatus: ita secundum eorum sententiam fides, quæ apprehendimus, nobisq; applicamus iustitiam Christi, debet esse prior quam Christi iustitia sit nobis applicata, & consequenter priusquam peccata nobis sint remissa. Quæ aperte contradicunt prioribus.

356
Confirmatur: quia eiusmodi fides respectu iustificationis se haberet eodè modo, atque vehemens apprehensio, quæ sanus quis apprehenderet se ægrotare, atque ita simul ipsum morbum apprehenderet ac sibi causaret, se haberet respectu huius morbi. Nā sicut secundum illos peccator credendo sibi remissa esse peccata, sequè esse iustum, hac fide tamquam quadam manu siue instrumento apprehendit iustitiam Christi, quæ formaliter iustificatur; ita ille sanus apprehendendo se ægrotare, hac apprehensione acquirit sibi morbum, quo verè ægrotat: ergo sicut huius apprehensio est falsa, nec potest esse causa cui sanus ægrotet, nisi sit falsa (nam si esset vera, apprehendens deberet prius ægrotare quam id apprehendat, & consequenter apprehensio non esset causa cui prius sanus iam ægrotaret) ita etiam illa fides necessariò est falsa, nec po-

test esse causa cui peccator iustificetur, nisi sit falsa. Atque ita sicut ille per falsam apprehensionem ægrotat, ita hæretici nostri per falsam fidem iustificantur, qui per veram quam non habent, iustificari non possunt: vnde etiam vt fiat illis secundum fidem suam, falsò iustificantur.

Pro solutione obiectionum Nota Primò, Apostolum in epistolis ad Rom. & ad Galat. maximè laborare vt duos errores Iudaorum refuteret. Prior erat, quo sibi persuadebant sibi propter obseruationem legis veteris deberi singularem Dei fauorem & gratiam, quæ in peculiarem Dei populum à Christo eligeretur; sequè suis operibus esse meritos vt Deus eos à peccatis alijsque miserijs per Christum liberaret. Vt Apostolus ad Rom. prioribus capitibus sæpè insinuat. Secundus erat, quo putabant etiam conuersis ad fidem Christi necessariam esse obseruationem legis veteris, vt patet Act. 15. vers. 1. & 5. & c. 21. vers. 20. & 21. & ex epistola ad Galatas. Igitur vt Apostolus hos errores refuteret, in epistolis ad Roman. & ad Galatas sæpè docet & multis probat, nulla opera sine fide Christi posse prodesse ad salutem, eosque nullis eiusmodi operibus potuisse mereri gratiam, quæ ad fidem vocarentur, & à peccatis liberarentur, sed Deum hanc nobis gratis sine meritis nostris concedere. Item docet, legem per se inutilem esse, & non posse conferre vires quibus ipsam impleamus; sed has nobis à Deo gratis conferri propter meritum Christi. Tertiò docet, veteris legis vim & obligationem durasse solum vsque ad Christum, iam verò adueniente lege gratiæ omnino desisse obligare, vt patet ex c. 7. ad Roman. initio, & tota epistola ad Galat. præsertim cap. 4. initio.

258
Ex quibus patet, dum fidem opponit operibus, & dicit eam sine his iustificare, ipsum loqui de operibus veteris legis, aut alijs sine gratia & fide Christi factis. Hinc ad Roman. 11. docet reliquias Israël ex electione gratiæ saluas factas esse, additque; Si autem ex gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia. Et ad Philip. 3. cum enumerasset quæ ratione ipse octauo die circumcisus, & secundum legem enutritus in eius studio & æmulatione supra alios profecisset, subiungit, se hæc omnia post conuersionem vt stercora contempsisse. Vt, inquit, Christum lucrificam, & inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est (quam scilicet prius ex æmulatione legis sine fide, imò contra fidem Christi, mihi videbar comparasse) sed illam quæ ex fide est Iesu Christi.

259
Nota Secundò, Scripturam Hebrææ phrasi, sæpè initium siue viam, quæ ad finem aliquem tenditur, vocare nomine ipsius finis. Sic in Euangelio sæpissimè præfens Ecclesiæ status dicitur regnum celorum, quia est quædam inchoatio & via ad regnum celorum. Et Iohannis 17. Ioh. 17. vers. 3. cognitio siue fides veri Dei ac Christi dicitur vita æterna, quia est via ad vitam æternam. Et simili ratione fides dicitur iustificare, quia est via ad iustificationem, eiusque initium, siue inchoata quædam iustificatio. Item quia fides est initium & radix spei ac caritatis, vt ostendi

Cur scilicet
prura nostra
iustificatio-
nem modo
fidei, modo
caritati tri-
buatur.
1. Iohan. 5.

772
Hoc est
alioquin
2. mo. 1. b.
1. Cor. 13.
Galat. 5.

supra dub. 7. ideo sapē in Scriptura accipitur
prout complectitur spem & caritatem. Hinc
S. Iohannes epistola 1. cum cap. 3. & 4. fuisse do-
cuisse, nos per caritatem ex Deo nasci, eiusque
filios constitui, & sine ea manere in morte; c. 3.
initio ait: *Omnes qui credunt quoniam Iesus est Chri-
stus, ex Deo natus est.* & deinde pergit pluribus
commendare modum caritatem, modum fidem,
ostendens se loqui de his, prout simul coniun-
guntur in am fides sine caritate nihil prodest. ut
ipse c. 3. & 4. aperte insinuat, & clare docet A-
postolus 1. ad Corint. 13. Hinc etiam Apostolus
ad Galatas 5. volens ostendere quam fidem in-
telligat, dum tam ibi quam alibi toties dicit nos
fide iustificari, ait: *Nam in Christo Iesu neque cir-
cuncisio aliquid valet, neque praeputium; sed fides
quae per caritatem operatur.* Et ex his erit facile sol-
vere argumenta contraria.

260 Ad primum argumentum positum nu. 247.
nego antecedens. Ad probationem & auctori-
tatem Pauli, varij varie respondent, sed, si spe-
ctemus Apostoli intentionem & contextum,
loca ibi citata non habent difficultatem. Nam
cum Apostolus ibi alloquatur omnes Christia-
nos Romanos, inter quos sine dubio erant mul-
ti peccatores, & postea damnandi, non potuit
generatim dicere, se omnino certum esse quod
nihil posset eos separare a caritate Dei, aut ijs
praecepere ut fide crederent se omnes esse iustos.

261 Vigitur eius mēs clarius pateat, Nota Apo-
stolum initio capitis 8. ad Roman. distinguere
triplicis generis homines, quorum aliqui viuunt
sub lege seruitutis, siue veteri, ex timore poenae
operantes, tamquam serui; & hanc legem tam
hic quam cap. 7. ait infirmam, nec posse dare
veram libertatem. Alij viuunt secundum car-
nem; ideoque spiritu mortui sunt, & spiritu Dei
carent. Tertij viuunt sub lege gratiae & spiritu
Christi ac Dei, qui est spiritus, non timoris, sed
amoris; ideoque amore aguntur ad bene ope-
randum, nec sunt serui, sed filij Dei. quod ita
probat: *Non enim accepistis spiritum seruitutis tre-
rum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filio-
rum, in quo clamamus, Abba Pater.* Ipse enim Spiritus
testimonium reddit spiritui nostro, quod simus filij
Dei. Quatenus nimirum nos excitat, ut Deum;
non iam tamquam dominum exercituum, sicut
antiqui, seruituter timeamus, sed tamquam
patrem filialiter amemus, & Patris nomine
compellemus. Vnde pater, Apostolum non in-
tendere hic definire, omnes fideles Romanos ef-
se iustos, aut singulos hoc debere de se credere;
sed solum omnes iustos esse filios Dei, & Spiritum
hoc testari, non per singulare aliquod testimo-
nium, quod singulis exhibeat, sed quatenus in
Scripturis generatim testatur Deum esse patrem
iustorum, & iustos omnes excitat ut Deum vo-
cent patrem. Atque ita in eo siue eius auctori-
tate nixi clamamus, Abba Pater.

262 Notandum Secundò, cum Apostolus vers.
14. dixisset eos esse filios Dei, qui spiritu Dei a-
guntur, vers. 15. subdit: *Non enim accepistis, &c.*
quasi supponens omnes Romanos fideles ac-
cepisse spiritum Dei, siue agi spiritu Dei. non
quod crederet omnes esse tales, aut vellet sin-
gulos hoc de se credere (nam ad Philip. 2. v. 12.

Philip. 2.

iubet nos de salute nostra esse sollicitos. & hic
vers. 9. aperte insinuat non esse certum nos agi
spiritu Dei) sed partim quia omnino credebatur
multos inter eos esse in gratia Dei & iustos,
ideoque (ut alibi sapē) a maiori parte omnes ta-
les denominari; hoc tamen non esse certum os-
tendit vers. 9. dum ait: *Vos autem in carne non estis,
sed in spiritu; si tamen spiritus Dei habitet in vobis.*
Quod non adderet, si vellet eos fide credere
spiritum Dei in ipsis habitare. Quare sicut hoc
versu primò absolute dicit: *Vos in carne non estis*
(quia nimirum ex bono actu hoc de ijs spera-
bat) ita quia hoc non erat certum, subdit: *Si ta-
men spiritus Dei habitet in vobis.* Et similiter cum
infra dicit: *Accepistis enim spiritum, &c.* eandem
conditionem subintelligit. Nec enim ibi inten-
dit describere, quales Romani tunc de facto ef-
fent, sed quales ex professione sua esse deberent.
Similiter etiam ait Spiritum testari spiritui no-
stro, quod sumus filij Dei: non absolute, sed po-
tiro, quod secundum nostram professionem vi-
uamus. Quia Spiritus hoc non aliter testatur,
quam quatenus iubet omnes iustos Deum vo-
care patrem; loquendo de attestazione infalli-
bili, de qua Paulus hic loquitur. Nam si loqua-
mur de testificatione solum probabili, alia est
ratio, ut infra ostendam.

Ad secundum locum respondent multi,
certum sum, valere idem quod probabiliter cre-
do; Gracū enim *πνεύματι* significat persuasum
habeo. Sed verius credo id hic pro absoluta
certitudine accipi. Nam Paulus ibi non docet,
se credere neminem eorum umquam sua culpa
a caritate Dei esse separandum, ut illi putant,
sed Deum nunquam nos ex sua parte sua cari-
tate, gratia ac protectione destitutum. nec
vllam esse creaturam quae nos possit a Deo se-
parare, nisi nos sponte ab eo discedamus. hor-
tatur enim ibi fideles ut fortiter pro Deo om-
nia aduersa sustineant, nec vllas calumnias fal-
sas, accusationes aut hominum vel angelorum,
vim aut tormenta timeant, cum nihil horum il-
lis possit obesse, aut a Deo ac sperata felicitate
separare. Cum contra dicta omnia fortiter ea
pro Deo sustinentibus sint profutura: quia di-
ligentibus Deum hac omnia cooperantur in
bonum. Quod probat, quia Deus quos praesciuit
(id est praecipue dilexit) *praeordinauit conformes
fieri imaginis filij sui.* scilicet hic in passionibus
sustinentis, ut postea sint ei similes in gloria.
Secundò, quia *si Deus pro nobis, quis contra nos?* &
cum Deus sit qui iustificat pios, quis aduersus
eos accusabit? id est, quae calumnia ijs poterunt
nocere? praesertim cum Christus pro ijs mor-
tuis sit ac interpellat. Vnde infert nullas angus-
tias aut persecutiones fore ita potentes, ut nos
separent a caritate Dei quae est in Christo, siue
qua Deus nos diligit propter Christum, & ita
protegit ac confortat, ut hac omnia facile supe-
remus, nihilque nos possit vincere nisi velimus,
atque ita nihil nos separabit a Deo nisi nos spon-
te separemus. Nec enim Apostolus hic vult do-
cere, iustos non posse cadere in peccata (hoc
enim non excitaret eos, ut aduersa patienter
ferrent, sed potius ut vana confidentia super
Dei misericordia nixi languide in ijs tolerandis
agerent,

263
Explicatio
illius loci
ad Rom. 8.
v. 15. &c.

Nos hic affi-
gi est signu
amoris Dei
erga nos.

agerent, aut etiam ijs cederent credentes se non posse à beatitudine excidere; sed eos non posse inuitos à Dei gratia ac felicitate excidere; nec Deum permittiturum ut supra vires affligantur, sed cum afflictionibus aucturum gratiam eos fortificantem; præcipue cum nos hic affligi non sit signum minoris, sed potius maioris amoris Dei in nos. quod probat exemplo Christi, qui maxima passus est, sicut & omnes illi, qui Deo maxime placuerunt.

264
Qua ratione
salas tribua-
tur fidei.

Galat. 5.

Bellarmin.
Tob. 4.

Daniel. 4.
Luc. 11.

Trident.
Cur dica-
mur gratis
iustificari.

Ad primum argumentum allatum num. 242. Respondeo loca ibi citata, aliaque similia salutem tribuere fidei, non quasi eam se sola operetur; sed quia ipsa huius est initium, & quatenus est radix spei & caritatis, atque ita hæc quodammodo includit; siue quatenus per caritatem operatur, ut docet Apostolus ad Galat. 5. Adde, simili etiam ratione salutem tribui timori & spei; ut docet Bellarm. supra cap. 13. Imò etiam eleemosynæ; nam Tob. 4. dicitur, *Quoniam eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat.* & Daniel. cap. 4. v. 24. ait Nabuchodonosor, *Peccata tua eleemosynis redime.* & Luc. 11. v. 41. Christus ait Phariseis, *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Vbi liberatio à peccato & morte, & peccati redemptio ac mundatio tribuuntur eleemosynæ, nec sit inentio fidei aut alterius operis. Ergo secundum argumentationem hæreticorum, sequitur, eleemosynam sine fide & caritate liberare & mundare à peccatis.

Ad secundum, Respondeo Primò, cum Tridentino sess. 6. cap. 8. nos dici gratis iustificari, quia nullis præcedentibus meritis iustificationis gratiam meremur. Nam etsi gratia Dei præuenit, possumus nos per fidem & contritionem ad iustificationem disponere, hanc tamen non possumus propriè siue de condigno mereri.

Respondeo Secundò, id etiam dici, quia primam gratiam, qua ad iustificationem disponimur, nullis præcedentibus operibus vlla ratione possumus mereri.

265
Qua ratione
dicatur iu-
stificari sine
operibus.

August.

Ad tertium, variè variè Respondent. Quidam enim docent, Apostolum solum ibi rejicere opera legis, tamquam ad iustificationem iam inutilia. Alij verò volunt eum loqui de operibus viribus naturæ sine gratia factis. Alij cum D. August. lib. 83. questionum, qu. 76. aiunt Apostolum loqui de operibus fidem præcedentibus, quia hæc nos iustificare non possunt, nec iustificatio ab ijs vllò modo propriè potest sumere initium, ut ostendit supra nu. 77. & 78. atque ita eum conciliant cum cap. 2. D. Iacobi, quòd hic loquatur de operibus fidem sequentibus. Quæ explicationes omnes satis commoda sunt, & ex mente Apostoli, ut patet ex dictis n. 257. & 258.

266

Ad auctoritatem Patrum citatam num. 243. generatim Respondeo Primò, eos, dum dicunt nos fide iustificari, loqui de fide viva, quæ per dilectionem operatur, iuxta iam dicta, ut faciliè ex eorum scriptis patet. Secundò, multos ex illis solum dicere fidem sine observatione veteris legis nobis sufficere ad salutem. Alios verò dicere fidem quandoque viam, siue coniunctam cum interna caritate, siue alijs externis operibus, sufficere ad salutem, quando ob bre-

uitatem vitæ non est facultas alia opera exercendi, ut contigit in Latrone, cuius exemplum adferunt. Ita S. Chrysost. hom. de fide & lege naturæ. Alij dicentes, solum fidem Catholicam posse saluare aut sufficere ad salutem; non distinguunt eam à caritate, aut alijs operibus, nec intendunt dicere illam sine his sufficere ad salutem; sed distinguunt illam à falsis opinionibus hæreticorum, dicuntque illam solum posse saluare, aut sufficere ad salutem; quia præter eam nulla alia saluare, aut ad salutem vlla ratione sufficere potest. vide plura apud Bellarm. & Vasquez citatos n. 243.

D V B I V M XIV.

Utrum possimus fide diuina credere, aut aliàs omnino certò cognoscere nos habere fidem?

Varias hæc de re sententias adfert Vasquez 267
1. 2. disp. 201. c. 1. & 2. Vasquez.

Prima docet, nos posse euidenter scire, aut saltem cognitione omnino certa, & cui nequit subesse falsum, cognoscere nos habere actum fidei diuinæ. Addunt tamen nos non posse omnino certò scire, hunc actum procedere ex habitu, quia hoc occultum est. Hanc tenent quidam moderni apud Vasquez, & præterea Vega lib. 9. in Trident. cap. 37. Item nos certò posse cognoscere nos habere fidem, docet Sotus l. 3. Sotus. de Gratia cap. 10. in 8. rat. & Bañez 2. 2. q. 6. a. 2. Bañez.

Probat autem Primò, auctoritate D. Augustini, qui lib. 13. de Trinit. c. 1. dicit habentem fidem hanc in se videre, & certissima scientia tenere. & D. Thom. 1. 2. qu. 112. a. 5. ad 2. vbi ait: *Quicumque habet scientiam ac fidem certus est se eam habere.* D. Thom.

Probat Secundò, quia 2. ad Corinth. c. vlt. dicitur: *Vosmetipsos tentate si estis in fide, ipsi probate.* 2. Cor. vlt. re. scilicet probatione infallibili.

Tertiò, quia quicquid Christianus est paratus potius quidvis negare, quam suam fidem: ergo habet summam certitudinem, se habere veram fidem.

Quartò, quia, si Christianus non haberet de sua fide perfectam certitudinem, posset dubitare an fidei suæ posset subesse falsum. quòd absurdum est.

Quintò, quia, si posset quis dubitare an haberet veram fidem diuinam, posset etiam dubitare an sit Christianus: atqui hoc est falsum: ergo & illud.

Sextò, quia fidelis experitur se firmissimè credere mysterium Trinitatis: atqui hoc nequit facere nisi ob reuelationem diuinam: ergo experitur se hoc credere fide diuina.

Septimò, qui aliquid scit eadem scientia scit se scire: ergo qui aliquid credit fide diuinæ, eadem fide credit se credere.

Octauò, quia nemo fidelis perit sibi à Deo dari fidem: ergo certò supponit se eam habere.

Secunda sententia distinguit duplicem fidem in quouis fideli. Prima est, qua credit confessionatori aut Ecclesiæ proponenti sibi rem fidei; & hæc est fides humana. Secunda, qua eadem res credit fide diuina immediate ob aucto-

ritatem